



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Vticensi Episcopo apostolicæ sedis Legato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

524 Epistolarum Innocentij III.

subtracto de medio, Subdiaconus memoratus nobis exposuit se habere præfatum Abbatem certa ratione suspectum, nobis humiliter supplicans ut loco præfati B. subrogare alium dignaremur. Nos igitur attendentes nullum ex hoc præjudicium parti alteri generari, ut judicium sine suspicione procedat, te, fili magister Arnalde, obtentu prædicti O. loco præfati B. duximus subrogandum, per apostolica vobis scripta districte præcipiendo mandantes quatinus in ipso negotio juxta priorum continentiam litterarum, appellatione remota, ratione prævia procedatis. Quod si alteruter vestrum his exequendis nouerit vel nequiverit interesse, loco ejus à parte sua infra triduum aliud eligatur; & si pars illa nouerit eligere, vel electus ab ea procedere non curaverit, residuus nihilominus in causa procedat. Nisi verò tu, fili Arnalde, simile præstiteris juramentum, tu, fili magister Nicolae, à juramento quod præstisti te noveris absolutum. Datum Laterani 11. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno quartodecimo.

AVXITANO ARCHIEPISCOPO.

*Epiſt. 32.
Vt cedat oneri
episcopali.
Vide lib. 5.
epiſt. 9.6. & lib.
16. epiſt. 5.*

Sicut is qui sufficiens est ad curam sollicitudinum pastoralis, si forsitan episcopatum affectet, desiderat bonum opus, si is qui non sufficit ad hujusmodi oneris sarcinam supportandam, utiliter sibi consultit, si eandem prius caute deponat quam sub ea in suum & aliorum dispendium comprimatur. Cum igitur ad pontificalis curam regiminis cognoscere te debebas minus aptum, fraternitatem tuam rogamus attentiū & monemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus salutem tuam & aliorum lucris temporalibus anteponens, & compatiens nihilominus contritioni Ecclesiae Auxitanæ, qua sub tuae provisionis umbra in temporalibus & spiritualibus graviter est collapsa, pontificalem curam spontaneus resignare proores, ut ex hoc divinam & apostolicam gratiam tibi valeas comparare. Altoquin, cum tam tuae saluti quam Ecclesiae memoratae utilitati ex apostolica teneamur servitutis officio providere, super hoc, prout expedire viderimus, disponemus. Datum Laterani xviij. Kal. Maij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

In eundem modum scriptum eſt Episcopo Valentinenſi. Scriptum eſt etiam in eundem ferè modum venerabili fratri Vticensi Episcopo & dilecto filio Abbatii Cisterciensi apostolicae sedis Legatis, ut dictam Archiepiscopum ad id mo-

neant efficaciter & inducant. Datum ut in alia.

In eundem modum scriptum eſt sicut in prima Episcopo Ruthenensi usque proores, cum jam dudum ad tuam instantiam cedendi tibi licentiam per nostras duxerimus litteras concedendam. Alioquin, ne videaris nobis forsitan illufſſe, venerabili fratri nostro Vticensi Episcopo & dilecto filio Abbatii Cisterciensi apostolicae sedis Legatis litteris nostris injungimus ut te ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Datum ut in alia.

Scriptum eſt ipſis Legatis in eundem ferè modum ſuper hoc. Quod si non ambo &c. aliter &c. Datum ut in alia.

VTICENSIS EPISCOPO
apostolicae sedis Legato.

Cum venerabilis frater noster Caraffonensis Episcopus, supportare nos quiens sarcinam sollicitudinis pastoralis, multis incommodis & defectibus præpeditus, officiū sui curam resignare disponat, ſicut per tuas litteras nobis intimasti, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus cessionem ipsius accipiens vice nostra, ipsum à cura Ecclesie Caraffonensis abolvas, ejusdem Ecclesie Capitulo injungendo ut infra octo dies post communionem tuam cum tuo conſilio talem ſibi personam eligant in pastorem per quam hoc tempore maximè Caraffonensi Ecclesie utiliter consulatur, alioquin extunc perfonam idoneam appellatione remota præficias Ecclesie memoratae; contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum ut in alia.

Scriptum eſt ſuper hoc Caraffonensi Capitulo in eundem ferè modum usque compescendo. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus talem vobis perfonam juxta præscriptam formam eligatis canonice in pastorem quæ tanto congruat oneri & honori. Datum ut in alia.

VTICENSIS EPISCOPO
& Abbatii Cisterciensi apostolicae
sedis Legatis.

Preſentium vobis auctoritate præcipiendo mandamus quatinus comitatum Melgorienſem, qui beati Petri iuri existit, in veltris recipiatis manibus, & tamdiu faciatis fideliter custodiri donec super eo noſtre rescripferimus beneplacitum voluntatis. Datum ut in alia.